



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

7 Quidnam existentia creaturæ sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

mentum, quod non est aliqua actualis distinctio, quæ in re intercedat, sed imperfectio creaturæ quæ hoc ipso quod ex se non habet esse, & aliud potest ab alio recipere, occasionem præbet huic nostræ conceptioni.

XXIV. Et hinc etiam patet vltima conclusionis pars, nam in hac locutione nomine creaturæ non est intelligenda realis entitas actualis seu actu creata: nam, si cum hac reduplicatione vel compositione fiat sermo, re vera creatura essentialiter petit, actu existere ut sit creatura. Atque in hoc sensu, sicut albedo est de essentia albi ut album est, ita existentia est de essentia creaturæ ut res actu creata est: nam eque vel magis formaliter illam constituit, quam albedo album. Vnde sicut est inseparabilis albedo ab albo quin destruat album, ita est inseparabilis existentia à creatura, quin destruat creaturam, & ideo non recte inferitur, si existentia sit de essentia creaturæ prædicto modo sumptæ, non posse creaturam privari existentia, quia solum sequitur non posse illa privari, quin destruat & definat esse creaturæ, quod verissimum esse constat ex dictis, & ex dicendis amplius confirmabitur. Cauenda tamen est æquiuocatio in illa voce de essentia, nam ut in principio huius sectionis dicebam, interdum habere esse de essentia sua significat habere illud ex se, & non ab alio, quomodo nulla creatura, etiam si actu sit, habet esse de essentia sua: tamen nunc non ita loquimur, sed prout dicitur esse de essentia, id quod est primum, & formale constitutiuum rei: quomodo albedo est de essentia albi ut sic, quamuis non à se, sed ab alio illam habeat. Hoc ergo modo existentia vere dici potest de essentia creaturæ in actu constitutæ, seu creatæ, ut talis est. Cum autem negatur esse de essentia creaturæ actu existere, sumenda est creatura ut abstrahit seu præscindit à creatura creata & creabili, cuius essentia obiectiue concepta abstrahit ab actu ali quoque esse aut entitate, & hoc modo negatur esse de essentia eius actu existere, quia non clauditur in conceptu eius essentiali sic præciso. Ad quæ omnia sufficit distinctio rationis, vel realis negatiua, quæ sit inter essentiam potentialem & actuaalem.

SECTIO VII.

Quidnam existentia creatura sit.

I.
Aliquorum
sententia.



Xpofita distinctione, & intellectu quid sit essentia, declarabitur facile, quid proprie existentia sit, & huius rei expositio doctrinam traditam amplius confirmabit. Quidam ergo ita loquuntur, ut dicant, existentiam creaturæ esse accidens eius, ita loquitur Auicenna lib. 5. suæ Metaphysicæ ubi ait ens accidentaliter dici de creaturis, quia de formali significat esse, quod eis accidit, quem imitatur D. Thom. quolib. 2. art. 3. citans Comment. 5. Metaph. Quod aliqui ex his, qui opinantur existentiam esse rem vel modum ex natura rei ab essentia actuali distinctum, putant in omni proprietate verum esse, asserentes existentiam esse quoddam accidens pertinens ad certum prædicamentum, nimirum ad prædicamentum Quando vel Quætitatis. Quorum fundamentum est, quia duratio & existentia idem sunt: nam durare nihil aliud esse videtur quam existere: sed duratio est accidens rei quæ durat & proprie collocatur in prædicamento Quantitatis sub specie temporis, si duratio successiua sit, vel in prædicamento Quando, si sit alterius rationis.

II.
Relictum.

Hæc vero sententia ab omnibus fere Doctores reicitur: nam esse æque patet ac ipsum ens, cum ens ab esse dictum sit: unde sicut ens non pertinet ad certum genus, sed transcendit omnia prædicamenta, ita & esse. Item quia per se est incredibile existentiam substantiæ esse proprium accidens. Primo quia

aliàs non esset esse simpliciter, sed secundum quid, unde & generatio substantiæ non esset generatio simpliciter, sed secundum quid, quia terminaretur ad quoddam accidens, nam terminatur ad esse, ut dicitur quinto Physicæ capite primo. Secundo, quia si existentia esset accidens, ergo vel commune, vel proprium. Non primum, quia accidens commune potest abesse sine subiecti corruptione, & provenit ab extrinseco subiecto præexistenti. Neque etiam potest esse accidens proprium, quia proprium consequitur & resultat ex re iam existente: & ideo non per se primo fit per generationem vel creationem, sed resultat ex re producta per generationem vel creationem. Tertio, quia aliàs deberet existentia esse inherens subiecto, & ab illo pendens: unde oportet illud supponere existens. Quarto, quia actus esse debet proportionatus potentie: essentia autem substantialis, præsertim iuxta hanc sententiam, est in potentia substantiali ut per existentiam actuatur, non potest ergo existentia esse accidens, sed actus substantialis eius. Tandem quia aliàs omnis essentia substantialis existens esset vnum per accidens & non per se, quod est valde absurdum. Et hæc rationes probant etiam existentiam vniuersaliusque accidentis non posse esse rem alterius prædicamenti, sed existentiam quantitatis participare eandem rationem quantitatis, cum habeat per se extensionem proportionatam quantitati, & per se pertineat ad completum effectum formale quantitatis, qui est esse quantum, & idem est seruata proportionem in qualitate & aliis. De duratione autem, vel negandum esse in re ideam omnino cum existentia, vel, si sunt omnino idem, negandum est durationem secundum rem esse accidens, sed solum secundum quendam modum prædicationis aut denominationis nostræ, qui ad distinguenda prædicamenta sufficiat: de qua re dicemus infra tractando de prædicamentis.

Quapropter qui melius sentiunt, etiam supposita distinctione essentia ab existentia, dicunt existentiam esse quandam actum seu terminum essentia eiusdem prædicamenti cum illa, quamuis in ea non directe sed reductiue collocetur. Ita sumitur ex D. Thom. quæst. 5. de potent. artic. 4. ad 3. & late Capreol. in 1. diffin. 8. quæst. 1. conclus. 3. & Caieran. de ente & essent. cap. 4. proxime ante quæst. 5. & cap. 5. quæst. 10. ad 8. Quæ sententia supposita distinctione facile defendi potest. Nam quod aliqui obiciunt, quia si existentia habet propriam entitatem aut modum entis, non est cur non sit ens completum, vel cur sub aliquo genere non directe collocetur: hoc (inquam) facillime expeditur, & in simili quæstione ab omnibus necessario soluendum est, quoniam aliàs æque probaret substantiam esse modum accidentalem, directe constitutum in aliquo prædicamento, & modum inherentiæ suum etiam prædicamentum constituere. Dicendum ergo est in ea sententia, existentiam non esse ens completum, quia per se in se sit actus essentia vnum per se & per illa constituens: & eadem ratione ad idem genus cum illa pertinere, non tamen directe, sed per reductionem: quia est per modum partis, seu actus eiusdem generis, & componentis vnum per se cum illa. Et ideo contra prædictam distinctionem existentia & essentia, non sumus vsi huiusmodi ratione, quod existentia sit vel non sit accidens.

Solum posset obici, quia quando aliquid reductur ad prædicamentum aliquid tanquam actus constitutus, saltem necesse est, ut ipsum constitutum directe collocetur in tali prædicamento: sed res existens ut existens, non collocatur in aliquo prædicamento, quia series prædicamentorum abstrahunt ab actuali existentia: nam in prædicamento solum collocantur res secundum ea prædicata, quæ necessario seu essentialiter eis conveniunt: ergo existentia nec reductiue potest ad prædicamentum pertinere.

nere. Vnde è contrario etiam argumētari possumus, nam res completæ constituuntur in prædicamento secundum totum complementum, quod in suo genere habent: non constituuntur autem prout existētes sunt: ergo existentia non pertinet ad complementum earum: ergo erit accidens earum, & non faciet unum per se cum illis sed per accidens: nam quod facit unum per se, pertinet ad complementum illius entis quod constituit. Dicunt aliqui (fortasse ad vitanda hæc & similia argumenta) existentiam correspondentem essentia uniūscuiusque prædicamenti, non tam reduci ad illud prædicamentum, quam esse supra omne prædicamentum, & participari ab unoquoque, tanquam quid excellentius omni re, & omni essentia collocata in prædicamento. Ego vero existimo, existentiam ut actu exercitam non proprie collocari in prædicamento, non propter excellentiam eius, de qua infra dicemus, sed quia talis existentia non est proprie alia ab existentia potentiali seu in actu signato concepta, quæ in prædicamento collocatur: sed ut est in actu dicit quendam statum minime necessarium ad seriem prædicamentorum.

Proposita ergo argumenta recte declarant, quomodo existentia actualis non possit addere rem, aut modum realem supra totam entitatem essentia individuatæ, quatenus est substantia creata, & omnino completa, & collocata directe in prædicamento substantia sub specie ultima. Quia solæ res singulares per se primo existunt: ergo res actu existens nullam rem addit supra totam substantiam individuatam in prædicamento collocatam: Patet cōsequētia, quia illa res neque est accidens, ut probatum est, neque est partialis vel incompleta substantia: alias ulterius completeret substantiam cui adiungeretur, quod esse non potest, quia subebatur substantia omni modo completa in suo genere, & ut sic collocata in prædicamento substantia. Dicendum ergo est, substantiam existentem collocari in prædicamento substantia, tamen, quia collocari in prædicamento non est aliquid rei, sed rationis, ideo non indigere actuali existentia in actu exercito, ut in prædicamento collocetur, collocari tamen nihilominus prout quid existens est in actu signato, seu ut possibiliter existens. Ex quo necessario fit, ut ipsa actu existens non addat rem novam, seu novum modum supra ipsam totam ut possibiliter existentem, ita ut additio fiat unius rei vel modi actualis supra aliam rem actualem, sed addit potius (ut ita dicam) seipsam totam: quia, cum erat tantum in potentia, nihil erat: & cum est actu, tota est aliquid.

Atque hinc etiam fit, ut non possit existentia ita esse aliquid incompletum ens, ut sit ex natura rei distinctum ab alio reali & actuali ente, cuius sit modus vel actus, & cum quo unum completum ens componat. Quia omne compositum seu completum ens creatum potest concipi cum toto suo complemento, & omni modo suo, ut præscindens ab actuali exercitio existentia, vel ut includens illam in esse possibili seu in actu signato. Quia ergo Doctores citati in hoc sensu vocant existentiam substantiam incompletam, & modum vel actum substantia, ideo eorum substantia nobis non probatur. Si autem loquerentur tantum secundum Metaphysicam abstractionem actionis, sic concedi optime posset existentiam, ut à nobis concipitur ratione distinctam ab essentia, esse quid incompletum, & concipi ut modum vel actum essentia. Sicut vocamus entia incompleta differentias, quibus contrahitur genus, aut hæc cetera tem, qua determinatur species ad esse individui, & modus quibus determinatur ens ad inferiora, quæ omnia non re, sed ratione distinguuntur à rebus quas contrahunt vel constituunt: & re vera multi auctores citati pro secunda opinione in hoc tantum sensu aiunt existentiam esse modum essentia. Quod præsertim explicuit Fonseca, qui compa-

rat hunc modum cum modis determinantibus ens ad genera summa: solumque differt à nobis, quod huiusmodi distinctionem ipse vocat formalem, & ex natura rei: nos autem solum distinctionem rationis fundatam in re. Citatque Fonseca in suam sententiam Alexandrum Alensi. 7. Metaphys. text. 22. ubi in ultima quæstiōcula ex professo tractat præsentem quæstionem, & expresse docet nostram sententiam, & melius & clarins quàm ceteri auctores illam declarat.

Et iuxta hunc eundem sensum exponendum est, quod interdum à grauibz authoribus dicitur, existentiam, seu existere, dici de creaturis contingenter seu accidentaliter: contingenter enim dicitur de creatura absolute sumpta, quia de se præscindit ab hoc ut creata vel creabilis tantum sit: & nomen creaturæ, ut dixi, in ea locutione in hac latitudine est accipiendum. Nam si creatura sumatur tantum pro re actu creata, illi ut talis est, non contingenter sed necessario convenit esse illa vero necessitas non est absoluta, sed conditionata, secundum quam dixit Aristoteles, Rem, quando est, necessario esse. Accidentaliter vero dicitur existere de creatura, non secundum rem quæ prædicatur, sed secundum figuram prædicationis, quia creaturæ secundum se conceptæ potest convenire existere, & non existere, quamvis, quando nō existit, iam re vera non est creatura, nisi obiectivè tantum, seu creabilis potius. Hæc autem contingens seu accidentalis prædicatio non est signum distinctionis realis vel ex natura rei inter essentiam actualem & existentiam, quia prædicationes sunt iuxta modum concipiendi nostrum, & ita cum prædicari dicitur contingenter existere de essentia creaturæ non concipitur essentia ut actualis. Sicut etiam differentia diuidens genus dicitur accidentaliter prædicari de illo: & similiter individuatō de specie: & dici possit contingenter ei convenire, quamvis in re ipsa non distinguatur individuum ab specie, vel differentia à genere, quia ad has locutiones sufficit modus noster concipiendi & præscindendi.

Atque hinc obiter intelligitur, quomodo Aristoteles distinxerit duplicem quæstionem de rebus, scilicet an sint, & quid sint: ex quo aliqui colligunt, ipsum distinxisse existentiam, quæ inquiritur in quæstione an est, ab essentia, quæ per quæstionem quid est inuestigatur. Sed hæc nulla collectio est, quia Aristoteles non tantum in ente creato, sed in ente simpliciter illas quæstiones distinxit: & nos distincte inquirimus de Deo an sit, & quid sit, ad hoc ergo sufficit distinctio rationis. Est autem discrimen quoad hoc inter Deum & creaturas, quod in Deo distinguuntur hæc quæstiones solum ex nostro modo concipiendi habitudinem seu connexionem prædicati cum subiecto, scilicet, confuse, vel distincte: nos enim interdum concipimus aliquod prædicatum convenire alicui subiecto non distincte concipiendo quo modo conveniat, an per se primo, vel secundo, an per accidens: & ideo de Deo ipso possumus prius cognoscere quod sit, & dubitare, quomodo esse illi conveniat, & an sit de essentia eius. Atque hac ratione distinguimus quæstiones an sit, & quid sit Deus, quamvis in re ipsum esse sit de quidditate Dei. At vero in creaturis maius est fundamentum ad distinguendas has quæstiones, si quæstio an est sit de actuali existentia. Duplex enim esse potest sensus quæstionis an res sit. Unus an actualiter existat: alter an sit verum reale ens quod esse possit. In hoc posteriori sensu vere non differt quæstio an est, à quæstione quid est, nisi ut communis à particulari, quia esse in potentia sumptum seu ens prout dicit id quod potens est esse, prædicatum est essentiale, seu de quidditate creaturæ, ut in superioribus demonstratum est, quamvis, quia transcendens est, non ponatur in definitionibus rerum, ut dixit Aristoteles. 8. Metaphys. tex. 19. quia in omnibus, tam generibus quàm diffe-

VIII.

Existentiā
quoniam
sensu dicta-
tur contin-
gener de
creatura.

VIII.

Arist. cur
quæstione
an sit res di-
stinctam
esse voluit
a quæstio-
ne quid est.


rentiū includitur. Et ideo, hoc modo sumpto ente, distinguitur quæstio an sit, in qua præcisa ratio entis includitur, à quæstione quid sit res, in qua propria rei essentia, & definitio investigatur. Alio vero sensu intelligi potest quæstio, an sit res, de existentia actuali: & sic multo maiori ratione fundata aliquo modo in re ipsa, distinguitur quæstio an sit, à quæstione quid sit res creata, scilicet, quia actu existere absolute loquendo non est de quidditate creaturæ. Tamen, sicur hoc verum est absque distinctione à parte rei inter existentiam & essentiam actualem, ita etiam quæstiones illæ merito distingui possunt absque rerum distinctione.

SECTIO VIII.

Quas causas præsertim intrinsecas habeat creata existentia.

- I.  Vanquam ratio existentie, eiusque identitas cum essentia actuali, satis videatur ex dictis declarata, & probata, tamē ad huius materie complementum, maioremque veritatis confirmationem, & solutionem fundamentorum aliarum opinionum, quæ in prima sectione propolita sunt, oportet multa alia exacte tractare, quæ de creata existentia inquiri, ac desiderari possunt. Inter quæ primum locum tenet causarum cognitio, quam hic inquirimus.
- II. Circa quam omnes Philosophi, præsertim Catholici, in hoc conveniunt. Omne esse seu existere extra Deum indigere causa efficiente extrinseca, & consequenter finali, quia efficiens per se non operatur nisi propter finem. Neque oportet, etiam secundum Aristotelē in hoc distinguere, inter esse corruptibile, & incorruptibile, materiale vel immateriale, quia quodcunque illud sit, si non sit esse diuinum, factum esse necesse est, etiam secundum Aristotē. mentem ut supra ostendimus, tractando de causis & de primo ente. Et ex ibi dictis etiam constat, hanc causam effectricem ipsius esse creati debere esse Deum, vel solum, vel cum alio. Nam cum ipse solus ex se habeat esse, alia non possunt illud habere nisi participatum ab ipso, & consequenter per effecttionem eius. Quam rationem late persequitur D. Thom. q. 3. de potent. articulo 5. ex Aristot. 2. Metaphysic. cap. 1. & Avicenna lib. 8. sup. Metaph. cap. 7. & lib. 9. cap. 4. In hoc ergo omnes conveniunt. Dissentiunt vero in aliis causis, scilicet, materiali, formali, & efficiente proxima, & dissensio oritur ex tractata diversitate opinionum circa distinctionem existentie ab essentia.

De causa materiali existentie.


- III.  Gitur, quod spectat ad materiale causam, qui putant existentiam in re distingui ab essentia actuali, tribuunt illi aliquam causam materiale, non quidem sumptam pro materia corporali & quanta, sed generatim pro subiecto recipiente, & in eo genere concurrente ad fieri & esse alicuius: sicut enim aiunt essentiam esse proprium receptivum existentie, extra quod neque fieri, neque esse potest. Quod si obicias, inde fieri nullius rei existentiam creati à Deo, quia creationi repugnat concursus materialis causæ: respondent, non creati quidem, sed creatione suppositi existentis concreari: & hoc modo non repugnare aliquid incompletum & quasi parziale fieri, vel potius conferri per creationem cum concursu materialis causæ, sic enim forma celi concreatur. At vero ablata distinctione ex natura rei inter existentiam & essentiam, non est necessaria hæc causalitas materialis ad effecttionem existentie, quia ubi non est distinctio, esse non potest vera & realis potentia

subiectiva recipiens, & actus receptus. & consequenter nec verus concursus causæ materialis. Neque ad hoc sufficit constitutio Metaphysica ex actu, & potentia ratione distinctis, quia causalitas materialis Physica est, & realis: ideo nullus unquam dixit differentiam fieri in genere tanquam ex materiali causa, vel aliquid simile.

Neque absolute loquendo, potest satis intelligi illud causalitatis genus, quia illud non potest tribui essentie ut consideratur in sola potentia obiectiva, sic enim, ut sepe dixi, est simpliciter non ens & nihil: quod autem nihil est, secundum eum præcisum statum non potest habere influxum realem, neque aliquid recipere, neque aliud potest adharere illi. Quomodo enim adhærebit ei, quod nihil est? Neque etiam potest tribui illa causalitas essentie ut iam facta & constituta in ratione entis in actu, nam ut sic in se ipsa ut receptiva, seu ut condistinguitur alteri actui, includit intime aliquod esse actuale extra causas, quod habet totam essentialē rationem existentie ut supra probauimus: ergo respectu illius non potest essentia comparari ut potentia recipiens, quia actus qui recipitur in potentia non includitur intrinsece in ipsa potentia, seu in entitate quam requirit ut sit receptiva, ut in superioribus etiā satis declaratum est: ergo existentia creata ut sic non requirit hoc genus causalitatis ex parte essentie. Vnde cum una essentia non habeat nisi unam existentiam, ut supra etiam probauimus, nulla existentia creata requirit hanc causalitatem ex parte essentie.

Solum ergo potest aliqua existentia requirere causam materiale, quando essentia actualis illam postulauerit: nam, cum in re sint idē, ex eisdem causis physicis oriuntur necesse est. Ita sit, ut existentia substantiarum immaterialium nullam habeat materiale causam: existentia autem substantiarum materialium habet illam, eo modo quo earum essentia. Vnde, si sit sermo de substantia completa, effectus habet causam materiale intrinsece componentem illud: esse vero formæ materialis habet similiter causam materiale, non quidem componentem: est enim illud semper simplex & parziale, sed sustentantem & recipientem illud. Quo etiam modo omne esse formæ accidentalis, siue spirituale sit siue materiale, habet ex natura sua materiale causam, à qua sustentetur. Esse vero formæ substantialis spirituales, qualis est sola anima rationalis nō habet causam materiale, non quia illud esse sit completa existentia, ut quidam dicunt, nam si existentia non est alia res ab essentia, cum essentia animæ rationis non sit completa in genere substantie, nec existentia eius potest esse completa: sed quia illud esse est spirituale, & ideo independens à materia: & cum aliqui sit substantiale, & est etiam independens à subiecto, & ex natura sua aptum ad subsistendum in completa saltem subsistentia. Denique esse ipsius materie nullam habet propriam materiale causam, sicut neque ipsa materia, cum sit primum subiectum, causam materiale habere potest.

De causa formali existentie.

IV.  Vrsus dicendum est de causa formali existentie. In qua refere omnes qui distinguunt ex natura rei existentiam ab essentia, dicunt formam esse causam formalem existentie. Putantque esse sententiam Aristotelis 5. Metaphysicor. cap. 8. text. 15. dicentis: *Alia est substantia in rebus, quæ est causa existentia, ut anima in animalibus*: & 2. de anim. capit. 4. text. 36. ubi ait, animam esse causam ipsius esse, seu cur sit animal: & 23. Phylisocor. cap. 1. text. 12. ait, res per materiam esse in potentia, & per formam esse in actu. Et Boetius lib. de unitate & uno ait, omne esse fluere à forma. D. Thom. etiam sæpe ita loquitur, ut 1. part. quæst. 48 articulo 1. contra Gent. cap. 54. & 55. Commentator 2. Physicorum